

88
Q. F. F. Q. S.

DE

RITU EXCOM-
MUNICATIONIS
INTRA ET EXTRA
ECCLESIAM,

Dissertatio Philologica

QUAM

Permissu Amplissimæ Fa-
cult. Philosoph. in Regia Aca-
demia Aboënsi,

PRÆSIDE

VIRO PRÆCLARISSIMO

DN. M. JOH. BERENH.

MÜNSTER/

Phil. Pract. & Hist. Prof. Ord.

Placido bonorum submittit examini

ANDREAS SANDEL,

In Auditorio Maximo Anno 1697.

23 Decembris

HOLMIÆ, ex Officina Olai Enæi.

Pl. Reverendo ac Doctissimo DOMINO,
Dn. PETRO LEUF-
STADIO,

Pastori in Leuffsta ut annis & ætate, ita
meritis maxime conspicuo, Patruo meo
summa veneratione colendo.

Pl. Reverendo ac Doctissimo DOMINO,
Dn. OLAO CHYTRÆO,
Pastori in Tårstuna vigilantissimo
Avunculo meo multis nominibus colendo.

Pl. Reverendo ac Doctissimo DOMINO,
Dn. CLAUDIO SANDEL
Pastori in Tuna & Staby vigilantissi-
mo cognato meo ut optimo, ita nunquam
non omni observantiæ cultu prosequendo.

Amplissimo ac Prudentissimo DOMINO,
Dn. JOHANNI
ENANDRO,
Officinarum ferrearum in Åkerby Di-
rectori perindustrio, affini meo honoratissimo.

Reverendo ac Doctissimo DOMINO,
Dn. MAGNO LEUF-
STADIO,

Comministro in Leuffsta vigilantissimo
cognato meo carissimo.

Ob innumera & prorsus paterna inde ab orba adole-
Academici speciminis in grati animi signum ac

D. D. D.

Pl. Reverendo ac Clarissimo DOMINO,
M. ANDREÆ BÄSE/

Pastori Oregrundensium meritissimo
affini meo longe honoratissimo.

Pl. Reverendo ac Doctissimo DOMINO,

**Dn. JOHANNI ISO-
PEDIO,**

Pastori in Hålnås meritissimo Avun-
culo meo ut propensissimo, ita submissa
animi reverentia ætatem pro-
sequendo.

Pl. Reverendo ac Doctissimo DOMINO,

**Dn. ANDREÆ TOL-
STADIO,**

Comministro ad Templ. St. Jacobi
Holmensium indefesso, benefa-
ctori meo propensissimo.

Reverendo ac Doctissimo DOMINO,

**Dn. ANDREÆ
FRÖDELING.**

Comministro in Gambla Ufsala im-
pigerrimo, affini meo ex-
imie caro.

Scientia mea collata in me beneficia, hoc quicquid est
perpetuæ observantiæ pignus

Omnium Nominum Vestrorum

Cliens Humilimus

M. ANDREAE BARRI

Pastori Gregoriano merito
meo longe honoratissimo.

DR. JOHANNI RO-

Pastori Gallico merito
meo in perpetuum, et submissa
mihi reverentia gratiam pro-
secuendo.

DR. ANDREAE TOL-

STADIO
Communitate ad Templ. St. Jacobi
Homenium indelto, bene-
ficio meo perpetuum.

DR. ANDREAE

Communitate in Campa libere in-
cipiente, et meo ex-
tunc caso.

Communitate in Campa libere in-
cipiente, et meo ex-
tunc caso.



THES. I.



Non perperam
nec abs re me fa-
cturum arbitror, si
juxta plerisq; rece-
ptam methodum,
atque secundum il-
lud Epicteti : ἀρχὴ
παιδείσεως ἢ γὰρ ὀνο-
μάτων ἐπίσκεψις ἔστι, circa vocis evolutio-
nem paucis morer. Quod tamen ita in re
plana faciemus, ut statim ad propositum
seu rem ipsam properemus. Excommuni-
cationis vocabulum quantum mihi con-
stat, Latio olim ignotum fuit, tametsi rei i-
pſius quæ voci huic subjicitur, quædam non
obscura indidem deprehendamus vestigia.
Qui tersius aliquanto ex mediæ ætatis scri-
ptoribus loqui amaverunt, ii sæpius extra
communione facere, à communione
suspendere dixerunt. Videatur Sulp. sev.
l. 2. Hist. Sacr. Castigatissimæ latinitatis scri-
ptores idem dicere videntur, quoties sa-

cris interdiceret alicui voluerunt, & illud *procul este Profani*, ingeminant. Solet etiam hæc excommunicatio accipi pro exilii specie, quæ alias proscripcio dicitur qua omnia humanitatis jura & vicissitudines officiorum interdicebantur, seu judicialis censura erat, qua violatoribus pacis publicæ, aqua & igni interdicebatur, ut his subsidiis, quibus vita humana contineatur, destituti, in alias terras migrare, cogerentur quod etiam Ovid l. 4. fast. indicat

*An quod in his vitæ causa est, hæc perdidit
exul*

His nova fit conjunx, hæc duo magna putant.

In cujus locum deportationem substitutam affirmant jure consulti, ut colligere est ex l. 3. ff. ad leg. Jul. Pecul. & à Speidelio p. m. 105. Dicitur etiam hæc excommunicatio alias Bannum, cujus vocis varias derivationes cui volupe fuerit scire, potest adire dictum Speidelium p. 105. &c. Græcis quoque eandem hanc consuetudinem in usu fuisse constare potest vel ex Svetonio qui l. 6. de Nerone refert, eum quo tempore in Græcia peregrinabatur Eleusinis sacris, quorum imitatione impii & scelerati, præconis voce submovebantur, interesse haudquam ausum fuisse. Huc spectant græcorum

rum μεμυημένοι ἔ ἀμύητοι; Etsi hunc initiationis ritum in quibusdam latius patere crediderim quippe cum non ad sacra strictè proprieq; sic dicta, sed etiam ad scholas & ea veterū ἀκροάθηρια, quæ Philosophorū vocibus crebro personabant, pertinuisse videatur. Hinc bipartita illa methodus fluxit ἐξαγωγικὴ ἔ ἀκροαμαθικὴ, de qua sciunt, qui vel leviter in Pythagoræorum dogmatibus sunt μεμυημένοι.

Thes. 2.

Ceterum ut adhuc in excommunicationis notionem intimam altius penetremus, lucem ei ex oppositis quoque accendamus. Ἐνάηια γὰρ παράλληλα μάλλον φαίνεσθαι. Ad melius itaque intelligendam excommunicationis naturam conducere videtur, si quid κοινωνία sit in sacris, spectamus. Hoc vero illustrari quodammodo potest ex ea, quam in civilibus κοινωνίας vocabulum obtinet, significatione. Ubi iurium civitatis æqualem quandam inter cives participationem hac voce designari satis constat, vid. Bœcl. Inst. Pol. l. i. c. i. Ab hoc itaque ut dicere cæpimus non multum abluere sacrorum communitio videtur, quam eorundem templorum rituum ceterorumq; eodem pertinentium rerum æquali usu ac fruitione constare arbitramur. — Esse hanc

sacrorum *κοινωνία* firmam fatis ac validam
 ad hominum animos conglutinandos & in
 concordia retinendos, plurimis scriptorum
 locis demonstrari posset, si commentatio-
 ni libere indulgeremus. Nunc id tantum
 observetur, quod apud Livium exstat de
 Annibale, cunctis miraculo fuisse, *tot gen-
 tes, nationes, populos, linguas, sacris institutis
 diversos ea animorum concordia sub moderami-
 ne ipsius vixisse*, quæ optari facilius, quam
 sperari in tanta rerum omnium dissonantia
 solet. Diligenter autem notandū est, mul-
 tum inter se discrepare ab alterius gentis sa-
 cris submoveri & suorum sacrorum com-
 munionem expelli. Quamquam enim res-
 pectu eorum, à quorum sacris excluduntur
 excommunicati quoque illi quodammodo
 dici possunt, qui à peregrinis arcentur; ma-
 gis tamen proprie excommunicari dicun-
 tur ii, quos scelus probrumque in se admis-
 sum velut putrida aut certe contactu noci-
 va membra, extra illam, qua antea conti-
 nebantur, consociationem exegit atque
 proturbavit. Sic etsi Romani olim pere-
 grinam disciplinam sacrificandi, sacraque
 externa cum sacrificulis vatibusq; foro,
 Circo, urbe prohiberent, memorante Li-
 vio l. 39. c. 16. proprie tamen stricteq; lo-
 quendo, qui arcebantur, excommunicatos

vix nuncuparim. Quemadmodum nec illos, quos Judæorum ratio ab sacris suis cohibuit ac repressit. Quorum institutum cum carpit Juvenalis Satyr. XIV. his verbis

Non monstrare vias eadem nisi sacra colenti

Quæsitum ad fontem solos deducere verpos
 respexisse videtur nimium ejus gentis rigorem etiam circa illa quæ innoxie utilitatis adeoque cui vis, modo solam humanitatis notam afferat, præstanda esse juris naturalis consulti censent. Qua in re licet salibus non prorsus intempestivis utatur, Judæorum tamen instituti rationem non penitus perdidisse aut perdere voluisse existimandus est: Nobis enim constat gravissimæ Divinæ legis comminationibus ab externorum commerciis populum hunc fuisse retractum vid. Lev. 18. 3. & 20. 23. sed nec sic quidem omnem illam satyricam notam sibi facile eluent homines præposterius etiam ex salvatoris ipsius approbatione διυλίζουτες τὸν κῶνωπα, τὴν δὲ κάμηλον καὶ ἀπίνουτες Matth. 23. 24. Christianos quoque olim ab Ethnicis à sacris ipsorum fuisse remotos vel ex illa προσήσει constare potest, qua profani ab inspectione mysteriorum hunc in modum arcebantur εἰ τις ἄθεος ἢ χριστιανὸς ἢ ἐπεχέρι ἢ κει κατὰ σκωπῶ τῶν ἀγίων Φεύγειω.

Non

Non tamen propter hanc exclusionem qua à communione sacrorum profanorum ad quam, quatenus Christiani, neutiquam adspirabant, segregabantur, Christianos ullo modo excommunicatos perhibendos judicamus.

Thef. 3.

Patet hinc excommunicationis vocabulum propriè ad eos pertinere, qui ab ejus cætus ac corporis sacris, cui alias civili vinculo adjunguntur, ob scelus aliquod sive verum sive *Φαινόμενον* separantur excludunturque. Quo ipso haud sciam an ad hunc excommunicationis sensum strictius sumtum referri queat prima parentum nostrorum expulsio. Nam ut admissum facinus ceteraque omnia hic facile deprehenderim, cætum tamen, à cujus sacrorum communione divellebantur, adhuc desidero, nisi quis impietati Peirerii gratificandū opinetur, ut præadamitas ex orco revoce-
mus. Interim quominus hoc exemplum ritui excommunicationis quadatenus prælusisse statuamus, obstare nihil videtur. Propius huc spectare videtur exilium Caino irrogatum cum cæde fraterna manus pronuper inquinasset. Sunt autem nonnulli ex Theologis qui verba illa Geneseos 4. v.

14. & 16. de expulsiōe Ecclesiastica seu Ex-
 communicatione præcipue exaudienda
 arbitrantur. Quade re consulatur Phei-
 ferus in vexatis. Equidem cum ob desi-
 gnatum parricidium tum pro cetera sua
 impietate, qua memoriam sui non nisi in-
 famem posteris relinquit, haud indignus
 fuit, in quem Ecclesiæ disciplina censorum
 hoc telum primum vibraret. Exserta ta-
 men magis est illa gravissima Numinis
 comminatio, quæ habetur Gen. 17. v. 14.
 ubi denuntiat ipse Deus è numero cætuq;
 sui populi excisurum se, quicumq; præpu-
 tii deponendi negligens, contumacia non
 obsequio debito ad divina jussa responde-
 ret. Neque attinet objicere, eos non Ec-
 clesiæ ligantis censione, sed Dei ipsius ab
 Ecclesiæ limine fuisse sequestratos. Nam
 hic πρώτον judicandum omnino videtur, ob
 impium consceleratumque animum ab
 eo, cui jus istoc competit à numero gregis
 Divini tantisper removeri atque excludi,
 donec Saniora pati consilia mens incipiat.
 De cetero, sive censura hæc ab eo exerit-
 tur, cui jus hoc primario ac radicaliter
 competit, sive ab eo, qui participati tantum
 juris agit, parum interesse existimamus.
 Posteriores vero Judæi hunc fere ordinem
 secuti sunt, ut qui leviora commisit pecca-
 ta,

ta, utpote Rabinum Magistrum aut Doctorem contempsit, vel proximum suum vocavit servum, vel verba Rabinorum sprexit, & cetera quæ Leusten in de pœn. Eccl. enumerat, separaretur ad distantiam 4 Cubitorum à societate uxoris aliorumque per 30 dies, sed si resipiscentiam non ageret duplicabatur & triplicabatur pœna, quæ species excommunicationis fere respondet prohibitioni in Ecclesiis nostris, qua membrum Ecclesiæ interdicitur S. Cæna. Erat præterea talis מנורה aspectu fædus, cum nec tondere nec lavare se licuerit. Si tempore hocce moriebatur, lapidabant tumulum ejus, ad indicandum quod fuerit lapidatione dignus, & hæc species excommunicationis dicebatur נרתי. Qui vero majoribus se miscuit peccatis ejiciebatur è Synagoga cum maledictionibus & diris, ubi tamen Leusten affirmat his licuisse templum & Synagogam quidem intrare, sed per sinistram viam, & hanc excommunicationem videtur Deus intelligere Gen. 17. 14. *Qui non circumciditur, excindetur è populis suis*, quæ verba, postquam variam à variis significationem traditam enumeravit, sic exponit, quod talis & in hac vita & post hanc, si modo non resipiscat, è cætu sanctorum excludetur. Formulam, qua talis αποσυνάγωγω ☉

γωϞ excommunicabatur, cui volupe est scire, adeat dictum Leusten, quam nos brevitati litantes reliquimus & hæc species excommunicationis dicebatur חרם. Si vero peccator post omnia humana media totaliter & finaliter non resipisceret, destinabatur soli iudicio Divino, ut eo periret, nec amplius ad Ecclesiam rediret, qua specie excommunicationis videtur Alexander Faber Ærarius 2. Tim. 4. 14. affectus, & hanc speciem excommunicationis שמתא vocabant.

Thef. 4.

Breviter hic ritu excommunicandi apud hebræos delibato, ulterius progredimur ad Ecclesiam primitivam, cujus omnium primam censuram Ecclesiasticam cum inspicimus, invenimus illam conjunctam fuisse cum corporali & quidem extraordinaria aliqua castigatione, quemadmodum Apostolo Petro Ananiam & illius uxorem ob manifestum mendacium, subita morte interficiendi potestas fuit, Act. 5. sic etiam Elymas lumine oculorum ab Apostolo Paulo privatus est, quod Evangelio restitit. Causa autem horum donorum extraordinariorum in Apostolis fuit defectus Civilis Magistratus, quo tempore Ecclesia N. T. privata erat, quare dedit

Christus Apostolis hanc potestatem extraordinariam, ut Ecclesiæ decreta & constitutiones, contra omnes suos hostes & transgressores rata forent. Quamdiu autem hæc vis extraordinaria mansit incertum est. Cætu vero Ecclesiæ congregato & aucto, erat excommunicatio communissimum supplicii genus, quo transgressor ab Ecclesia sequestrabatur, usq; dum pœnitentiã agebat. Hæc excommunicatio variis à variis auctoribus, nominibus efferebatur, quemadmodum Cyprianus variis in locis, voce abstineri utitur. Sic etiam Græci ἀφορίζασαι, quod tales transgressores à communione piorum separabantur; sic etiam ἐκκόπησαι τῆς κοινωνίας πανταπασιν, ac ρίπησαι ἐκ τῆς ἐκκλησίας dicebantur. Si peccator fuerit Sacri ordinis, tum ab officio removebatur & si vel postea pœnitentiam egisset, nunquam priori officio fungi illi permissum erat, sed in numerum Laicorum referebatur. Sic cum Cornelius Episcopus Romanus narraret Fabio Episcopo Antiocheno de ordinatione Heretica Novatiani, dicit Eusebius Hist. Eccles. l. 6. c. 43. *Ex illis (sc. Episcopis) unus paulo post ad Ecclesiam rediit, peccatum suum deplorans ac confitens, quem etiam populo cuncto pro illo intercedente, ad laicam communionem recepimus.* Summus autem gradus aquo illos erat

erat, ut qui præfracte pœnitudinem patra-
torum scelerum penitus abnueret, satanæ
divexandus traderetur. Cujus exstat ex-
emplū excommunicationis apud Paulum
1. Cor. 5. 5. Qui autem hujnsmodi execra-
tione à communione Ecclesiæ relegeba-
tur, eum Græci ἀνάθεμα vocitarunt. Huic
ne quidem ad templi amplius postes acce-
dendi potestas, sine interveniente emen-
datione, dabatur. Funestarunt memoriam
nominum suorum hujusmodi excommu-
nicatione Hymenæus, Alexander aliique
quorum in sacris exstat facta mentio. At
rarior atque dirior aliquanto excommuni-
catio habebatur illa, quæ voce *maramathæ*
peragebatur vid. 1. Cor. 16. qua denuncia-
tionem adventus Domini significari volunt
interpretes. Qui hoc excommunicationis
percellebatur fulmine, à conversatione om-
ni cum popularibus suis excludebatur at-
que intestabiles prorsus ducebantur. Quo-
rum nomina sicut è libro vitæ putabantur
exsculpta erasque. vid. Alex. Ross. p. m. 31.

Thef. 5.

Pertinet huc quoque lapsorum pœni-
tentia per certos in Ecclesia primitiva N. T.
gradus ordinata dispensataq; Primus dice-
batur πρόκλαυσις ubi homicidæ aliiq; sce-
lerati ante templi fores ab omnibus separa-
ti 4 annos stabulabantur ingredienti sup-

plique voce orantes, ut pro se intercederent atque deprecarentur. Secundus gradus *ἀρχαίας* vocabatur, ubi lapsi intra Ecclesiam quidem post cathecumenos, alios 4 annos stabant, tantum ut verbum Dei audirent, sed eo peracto, statim exire jubebantur, tanquam precibus indigni. Tertius gradus *ὑποπύρωσεως* veniebat nomine, quæ interior quædam admissio fuit, ubi iterum aliquot annos morabatur, & cum cathecumenis precibus publicis intererant. Adclamante autem Diacono: ite cathecumeni missa est, pœnitentes simul cum cathecumenis templo efferre pedes cogebantur. Obiter autem hic de cathecumenis notandum est, neque eos ante perceptum baptismum ad Eucharistiæ mysteria admissos, atque, quoties inter concionandum mysterii hujus, iis præsentibus, fiebat mentio, toties ænigmatico & parabolico expositionis genere mysterii tanti revelationem declaratam. Quare & hi excommunicati quodammodo accenseri poterunt. Quartus gradus *σύσσεως* nuncupabatur, ubi inter fideles quidem consistebant & in omnibus cum illis ejusdem erant conditionis, nec cum cathecumenis, cum missa celebrabatur, exire cogebantur, sed Eucharistiæ tamen participes fieri nondum poterant.

Atq;

Atque hæcenus excommunicationis gradus enumerati, quin ἐν μέρει τινὶ ad eum quem describemus excommunicandi ritum referri possint, nihil obstare videtur. Nam 5:tus qui μεθεξὼ τῶν ἀγιασμάτων continebat, jure meritoq; eximendum arbitramur. vid. Stratem. Hist. Eccl. p. 398. seqq. De cathæcumenis autem quod diximus ita capiendum volumus, ut non nisi improprie intelligantur excommunicati dici posse. Id vero ex superioribus facile intelligitur, quippe cum jam antea nominamus eos tantum ἀκριβῶς excommunicatos perhiberi posse, qui ab eo corpore cætuque, cui pridem jungebantur, separati divulsiq; fuere; facile ratio limitationis distinctionisque apparebit, in illis, qui non dum per baptismum Ecclesiæ inserti corpori erunt. Ceterum ut in Ecclesia latina Abstenti, Excommunicati, Anathematifati, ita apud Græcos erant iisdem respondentes ὑποπίπτοντες, ἀκροαμένοι, προκλαίωντες. Peculiaris autem erat illa excommunicatio, qua Judæorum natio utebatur adversus samaritanos, neque hic forte quatenus ex omiffis aliquid peto, prætermittenda. Fiebat illa quadam cum solemnitate tubarum, clangorem excitantibus Levitis, priusque execrationis in eos conceptæ exemplum recitan-

tantibus, quod non Samaritanos modo, sed qui cum illis conversabatur una execratione involvebant. Hoc publicè deinde inter omnes tribus recitabatur, ut scirent omnes à samaritanorum sodalitiis atque familiaritate sedulo sibi cavendum abstinendumque esse.

Thef. 6.

Ratio autem hujus severitatis exercitæ in Ecclesia Dei, haud dubie ex pœnarum indole, ad quas excommunicatio referri debet, depromenda venit. Cum igitur secundum magnum illum Grotium l. 2. cap. 20. constet pœnas omnes ad tria hæc referri, utilitatem ejus, qui peccavit; ejus, cujus intererat non esse peccatum; denique indistincte quorumlibet; ambigendum non est, quin itidem Ecclesiastica hæc *ἡ θεία* atque *κολασις* eosdem sibi habeat propositos fines, eandem metam. Quam autem utilis sit hæc disciplinæ ratio in omni societate, prope frustraneum duco in tanta rerum lucè operose differere. Nec minus in Ecclesiastico cætu, quam civili ea opus esse, quivis intelligit. Tametsi enim satis constat præsentiorè cura Deum Ecclesiæ suæ sponsæque moderamen sibi in his terris adoptasse, quam aliorū cætuum societatumq; Tamen nihil obstat quominus protervia hæc

hæc ac non raro lascivies, idoneis castigatio-
 tionibus compesci & ad æqui justiq; habi-
 tum, quoties opus est, reduci queat, debeat-
 que. Bene ille apud Demost. *ὡς ἔδεν ἐστὶ
 ὁ Φελαῖος πολέως, ἥ τις μὴ νεῦρα ἐπὶ τῆς ἀδικούν-
 τας ἔχει.* Quare nec Ecclesia, peculiaris
 Dei civitas & in qua vitæ sanctimonia,
 etiam ad exemplum aliarum civitatum
 elucere debet, disciplinæ exors relinqui
 penitus debuit. Sunt autem leges nihil
 aliud quam præcepta meliorum morum
 vitæque honestioris: At hæc usum nullum
 obtinebunt, nisi pœnarum sanctionibus
 communiuntur, in quibus id præcipue spe-
 ctandum, ut sua magnitudine doloreque,
 quem incutiunt, exasperent dulcedinem ac
 illecebram illam peccandi, quæ ex gustu
 delictorum plerumque redundat. Nemo
 enim fere gratuito malus est; Sed aut ma-
 nifestis præmis, aut spe, aut specie sane cu-
 jusdam boni ad peccandum impellimur.
 Hactenus igitur intendenda castigationis
 acerbitas, ut ad blandam illam carnis fire-
 nem aures nostræ velut obsurdescant. Spe-
 ctat autem id ad cujusvis societatis mode-
 ratores, quam varietatem ratio disciplinæ
 ex ipso temporum diverso habitu requirit
 atque exposcit. Est enim ubi ἐπίστασις quæ-
 dam exigitur; Est & ubi ἀνεσις locum suum
 ha-

habet. Hæc omnia quomodo constituen-
 da sint facile constituet, qui exemplis vitæ
 probe instructum animum ad publicæ rei
 tractationem adtulerit. Cum de pœnis hic
 agamus, quatenus illæ cum in veteris tum
 novi fœderis Ecclesia exercitæ fuere oc-
 currit *Φιλολογος* & illa quæstio, de suppli-
 cio crucis, an scilicet illud inter Judæos or-
 dinarie locum habuerit. Ubi tamen facile
 videt B. L. me in hac quæstione, quæ à no-
 stro argumento, aliquanto remotior est,
 potius τὸ ἀξιωματικόν εἶναι, quam εὐκαιρίαν
 spectasse. Neque enim alias crucis suppli-
 cium ad excommunicationem quicquam
 in specie pertineat. Sub uno interim pœ-
 narum genere facile concordabunt. Est il-
 la gravissimorum quorundam scriptorum
 adfertio, hocce supplicii genus, non minus
 Judæis quam ceteris gentibus notum usur-
 patumque fuisse. Quam in rem advocari
 potest Baronius, Spondanus multique alii,
 sed quum ventum est ad verum, sensus
 moresque repugnant. Exemplis enim le-
 ctionumque auctoritatibus adeo sententia
 illa obruitur, parum ut sani coloris ei ines-
 se, facile deprehendatur. Adeat, cui otium
 est, super hac re Casaubon: in exercitationi-
 bus ad Baron. Exercit. 16. Sect. 77. Joh.
 Gerhardum in Harmonia Passionis cap. 13.

Calixtum in concordia Evangelica l. 6. c. 11. Grot. in annotatis Evangelicis p. 208. qui omnes satis luculenter docent, à Romanis, Persis, Græcisque hoc excogitatum crebroque, etsi cum quodam discrimine, usurpatum. Nam apud Græcos & Persas, modo diritas facinoris facta erat, raro personarum hic discrimen agebatur. Apud Romanos vero in servos peculiariter hoc supplicii genus constitutum erat. Unde frequens is metus servis apud Comicos appingitur. Apud Plautum in Milite glorioso: *servus, noli, inquit, minitari, scio crucem mihi futuram sepulchrum, ibi majores mei siti sunt, pater, avus, proavus, Abavus.* Quare quod ad supplicium hoc attinet accommodatū hospitori nostro Christo, à spurcis impiisque Judæis, tenendum est jam dudum à gentilibus ritibus in peregrinos Hebræum populum transivisse. Præcipue postquam Pompei armis devictus imperii Romani majestatem agnoscere atque revereri occæperat. Et in turbonem, qualem Christum cæca impiaque gens illi interpretabatur, servile supplicium optime quadrare videbatur; plus quippe quam aliud ullum ad infamiam valiturum.

Thef. 7.

Ceterum ut ad ordinem revertamur &

C

ad

ad Excommunicationem, notandum vero ejus ului fœdissimum progressu temporum à Præstigiatoribus & divinorum institutorum depravatoribus abusum adjunctum fuisse. Præcipuè infamiam suam hoc flagitio adaugere voluisse videntur Pontifices Romani, qui solis sibi Clavis ligantis solventisque potestatem concessam clamitantes, motus turbasque ingentes in Ecclesia Dei sæpissime hac re concitarunt. Mitto Victoris præcipitem audaciam, qua non unum hominem sed universam orientis Ecclesiam ab occidentali in controversia de celebratione Paschatis dissidentem anathemate ferire haud quaquam verebatur. Quod facinus hætenus in Ecclesia inusitatum, non paucis cordatis hominibus ipsiq; Irenæo vehementer stomachum movit. Hinc de eo Socrates lib. 5. c. 22. ἀμελῆα, inquit, θερμανθεῖς ἀκοινωνησίαν τοῖς ἐν τῇ ἀσία ἀπέσειλε, *supra modum æstuans eis, qui in Asia contrarium sentiebant, sacrorum communionem denegabat.* Primus hic fuit, qui supercilium Pontificiale nimis aperte extulit atque ostendit; non tamen postremus. Quis nescit, quæ, quantaque passus sit Henricus IV. à Gregorio VII. cum primo execrationis suæ mucrone percussus variè per Rudolphum severum adversarium ipsi

psi concitatum, lacefferet, mox excitato adversus Patrem filio, Regalibus eundem se abdicare compelleret, iterataq; fulguratione adversus eum detonaret. Nec desunt, qui memoriae prodiderunt, tanto in optimū imperatorem odio Pontificem exasperatū fuisse, ut hostia in ignem projectâ, diabolicis artibus resciscere discuperet, quem fata terminum præscripsissent vitæ imperatoris. Adeo scilicet, ut exclamat Vellejus, *odium, certaminibus ortum, ultra metum durat, & ne quidem in vitiis deponitur, neque ante invisum esse desinit, quam esse desit.* Congruunt hæc probra ei Pontifici, qui pessimis artibus ad eam dignitatem prorepserat. Constanter enim traditur Brasuti coqui opera ab usum ad veneno cibos inficiendos; quo postquam conciderat Benedictus ejus nominis Nonus, cathedram Gregorius sine populi suffragio invasit. Imitabantur decessorem Urbanus & Pascalius, quare factum, ut ultra quinque annos à morte Henrici nemo corpus ipsius terræ mandare, solitisq; sepulturæ ritibus exornare auderet. Expertus fuit eadem tandem Pontificum tela etiam impius ille ingratusque filius Henricus V. Quam autem atrociter publicæ rei tranquillitas hujusmodi Pontificum ausis consauciata ac con-

vulsa fuit, ex eorum temporum historia, abunde agnosci poterit. Sæpe quoque in nundinationes trāsmigravit temerarius hic excommunicandi abusus. Quippe Gregorius Nonus postquam Fridericum II. tardius quam volebat Pontifex, ad bellum sacrum profectum excommunicaverat; resecrare conceptas impie diras ante abnuit, quam centum viginti mille auri unius Ecclesiæ Romanæ persolveret. Quam pecuniarum λύσιw Imperator ne felicissima quidem expeditione declinare ac redimere apud avarum Pontificem valuit. Felix tamen utrinque Fredericus fuisset, si hactenus malum stetisset; sed ipse dum aberat, Pontifex suo fulmine, seditiosisque machinamentis effecit, ut ingens rebellio redeunti imperatori quasi in ipso limine occurreret. Defecerat, præter alias regiones, universa Apuleja, non sine magnis mox cladibus ad officium redigenda. Verum postquam nimia jam insolentia ac Tyrannide Tarpejus ille Væjovis fulmen iterum adversus innocuum laudatissimumque Principem conquassarat, adeo hoc omnibus bonis, etiam ipsius Pontificis satellitibus indignum visum, ut universam inde Italiam longe gravissima Guelphorum Gibellinorumq; factio distraxerit. Quorum

hi

hi cæsari indigne illatam injuriam moleste ferebant: illi Pontificum Tyrannidem armis propugnare parabant: Duravitque hæc factio annos plurimos magna infinitorum hominum utriusque strage. Sic Clemens VI. Ludovicum pacis amantissimum communionem suspendit. Gregorius III. in Concilio Romæ habito Leonem imperatorem Constantinopolitanum ab Ecclesiæ limine sequestravit. Cujus facti causa digna profecto est quæ in periculo imperatoris inscribatur. Scilicet ob sublatum fœdissimum ἐκωνολαγείας abusum, & ob diu exercitam impiam ειδωλομανίαν remotam, jurium Ecclesiæ Dei exorsus factus est à pessimo sacrificulo servorumque servo, imperator optimus. Involvebat hæc excommunicatio etiam eos universos, qui idololatriam hanc tollere atque abolere allaborarunt. Qua de re videatur Caspinianus. Ab Innocentio pari licentia primum Philippus Frederici primi filius; Mox Otto Quartus fulmine adflati fuerunt. Ille quidem, quia actutum ad crepitum digitorum Pontificiis absistere imperii contentione detrectavit: Hic quod latifundia Italica, quæ iniquus possessor Pontifex detinebat, imperio & antiquis legitimisque possessoribus asserere fuerit adgressus. Verum enimvero quid opus est ut in re con-

fessa & orbi universo notissima diutius im-
 morer, præcipue cum etiam hodierno die
 fœdissima ausa sua Pontifices non plane re-
 misere? Equidem quo ad Imperatores
 adinet, seculo huic nostro gratulandum
 est, quod discussa jam caligine ex profun-
 do tenebrarum in lucem scientiæ ac veri-
 tatis emergere pars melior ac potior Eu-
 ropæ cæperit; hæctenus quidem ut Ponti-
 ficum fulmina hæc pro brutis & fatuis, ut
 reipsa sunt, imperantium pleriq; habeant.
 Quod tametsi non ita seculo nostro pro-
 prium sit, quin & plurimi eadem alto ani-
 mo spreverint; hæc tamen, quod vulgi ani-
 mus magis sobrius se infatuari non patia-
 tur ut ad minima illa tonitrua reverentiam
 Principis excutiat; quodque nec ipsi Pon-
 tifices Imperantium majestatem tam pro-
 fane tractare crudeque amplius audeant,
 ea nostrum temporum peculiaris, Dei be-
 neficio, est felicitas. Alias satis constat in-
 ter eos, qui Romani Pontificis vestigia lin-
 gunt, annuatim stato tempore omnes or-
 thodoxos tanquam intestabiles quosdam
 diris devoveri & obtuso illo anathematum
 mucrone feriri ac percelli. Ad quas ta-
 men diras execrationes nemo vere Chri-
 stianus hodie cohorrescit aut magis mo-
 vetur,

Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes

Præcipue cum non obscuris sospitatoris nostri pollicitis fulciamur, futurum ut impiæ hujusmodi imprecationes in auctoriū capita revolvantur. Permittamus igitur illis ritu Semei convitiis suis maledictisque priorū cætus ex septicolli illa Babele quantum velint incessere: Satis gnari maledicum istud profanorum hominum murmur, postquam irrito sibilo aërem verberaverat in ipsos penitus recasurum.

Thef. 8.

Qui attentiore mentis oculo hæc omnia lustrat & Judaicam & Primitivæ & illius quæ postmodum secuta est, excommunicationem, non accuset Ecclesiam nostram novitatis, quasi Ecclesia nostra ex puro odio vel ex cerebro pastorum, disciplinam fictam exerceret, nam hæc respectu Ecclesiarum jam dictarum levissima est. Solent Ecclesiæ nostræ hanc disciplinam in illa peccata tantum exercere, quorum in Legisterio nostro suetico mentio clarè & expressè nō habetur, ideoq; tales transgressores Judicibus Politicis sistere non possunt. His primo ante oculos solent ponere illorum peccata, ad pœnitentiam admonere; si vero non resipiscant, ab usu sacrae cænæ remove. Multa & omnia adhuc placuit serenissimo nostro Regi tentare quam illos

pe-

penitus ab Ecclesiæ communionem removere, ita ut iusserit illos civili pœna ad pœnitentiam allici. Si autem post hæc humana media, nullam pœnitentiam facerent illos tandem pastor à communionem non tantum Ecclesiæ; sed etiam conversationis cum hominibus præter domesticos removit ita ut nisi aliqui intelligerentur illorū vita & conversatione uti, etiam hi pœna Ecclesiastica puniantur. Hæc saltem attigisse de Ecclesiæ nostræ excommunicationem sufficiant, de cetero frustraneum sane duco in tanta luce, cum omnia hæc dilucide proponant nobis constitutiones Ecclesiasticæ capite decimo, diutius morari, ideoque ad externos pedem promovere volumus.

Thef. 9.

Jam antea submonuimus, non solum intra Ecclesiæ pomæria, sed etiam apud alias profanas gentes excommunicationis hunc ritum exercitatum fuisse. Scilicet cum omnibus natura instillarit summum istud Numen quod universo huic moderatur, sanctissimum ac ab omni immunditie quam maxime remotum esse; colligere obvium erat etiam hujusmodi esse eos oportere, qui ipsum propitium faventemque sibi habere exoptarent. Hinc eleganter Seneca & prorsus ad mentem sacrarum

rum literarum. *Nec victimis*, inquit, *licet optime sint auroq; præfulgeant, Deorum est honos; Sed pia ac recta voluntate venerantium* l. 1. de Benef. c. 6. Apud Hieroclem versus sub Dei ipsius persona ita habet

(πω) *Εὐσεβέεστ βροτῶν γανυμαι τόσον ὅσον ὀλύμ-*

Piis hominibus magis delector, quam ipso celo.
Hinc Tibull. lib. 2. Eleg. 1.

Casta placent superis.

Neq; aliter Porphyrius *Ἐὶ ἀποχῆς* l. 2. το δαιμόνιον μαλλον πρὸς τῶν θυόνων ἢ θ, ἢ πρὸς τὸ τῶν θυομένων πλῆθ, βλέπει.

Magnifice etiam & pie Minucius in octavio *Deus*, inquit, *in nostra dedicandus est mente, in imo consecrandus pectore. Litabilis hostia bonus animus, pura mens & sincera conscientia. Qui innocentiam colit, Deo supplicat; qui justitiam, Deo libat; qui fraudibus abstinet, propitiat Deum; qui hominem periculo surripit, opimam victimam Deo cedit.* Plinii hoc est Panegy. c. 3.

Animadverto etiam Deos ipsos, non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia & sanctitate letari. Plura hujus generis dicta passim apud Ethnicos scriptores leguntur, ex quibus manifestum est, persuasissimum ipsis fuisse sanctos, quantum quidem humana infirmitas patitur, ac illibatos existere eos debere, qui cum successu Diis facere meditabantur. Hinc non est mirandum voluisse eos, quoties sacris operaban-

tur, eos à se separare atque à sacris sejun-
gere, quos criminis alicujus infamia coinqui-
naverat. Nam præterquam quod vereban-
tur merito ne ad ipsos velut contagione
contactuque malum serperet, quemadmo-
dum solet *malus sæpius simplici ac innocenti la-
bem affricare*, teste Seneca. Et secundum Ju-
venal.

- - - *Dedit hæc contagio labem,*

Et dabit in plures sicut, grex totus in agris,

Unius scabie cadit & porriginè porci.

Tralaticium quoque illud est τοῖστ' ἑστίν
ἕκαστ', οἷσπερ ἡδέλαι ζύνων. Etiam id jure
subvereri poterant, ne ob quorundam insi-
gnitam malitiam, sperato pietatis suæ fru-
ctu exciderent. Nimirum ut est apud He-
siod. op. & D. c. i. v. 138 πόλλακι ἔζυμπασα
πόλις κακῶ ἀνδρῶς ἐπαυρεῖ, ὅς τις αλιτράινει
ἔἀλάδαλα μηχανάσαι, videndus Grotius l. 2.
c. 21. §. 2. de J. B. & P. qui more suo egregie
totum hunc locum illustravit. Placuit igitur
multis etiam hujusmodi submotive à sa-
cris coercionem quandam adversus male-
ficos expromere, suæ quoque detestationis
ac à talibus flagitiis averfationis testatus
quoddam hac ratione quasi exhibituri in-
digitamentum atque specimen. Et cum
ne in civilibus quidem negotiis facile quis
cum probrosis sceleratisque hominibus
com-

commercium agitet; multo hoc minus in sacris, quæ peculiarem quandam sanctimoniam exposcunt, sibi concedendum iudicarunt; Hinc toties illa apud Poëtas ingeminantur:

- - - *Procul o procul este profani*

Virg. 6. Æneid.

- - - *Gressus removete Profani.*

Claudian. l. i. de raptu proserp. Profanos quippe eos appellarunt gentiles, qui probrorum contaminatorumq; morum conscii sibi erant. Atque ex his, si qui turbæ sese reliquæ immiscuerint, post divulgato facinore ad pœnas suppliciaque raptabantur. Cujus rei exemplum exstat de adolescentibus quibusdam Acarnanibus apud Liv. lib. 31. Perhibetur etiam Numen aliquando, præsentiori vindicta audaculos illos & impuratos, qui ceu ἀμύητοι irrumperè ad sacra eorum audebant, punivisse. Cæcitate autem potissimum curiosos mulctare credebatur, unde manavit illud Tibulli:

Hunc mihi non oculis sit timuisse meus.

Lib. i. Eleg. 7. Forte ex Historia sacra quæ 1. Sam. 6. describitur, deducta desumtaque superstitione, ut eruditis quibusdam visum. Nam id quidem in universum satis constat, qua κακοζηλία multa ex limpidissimis hisce fontib9 ad feculentos rivulos & male deri-

vata Ethnicorum incilia defluerint. Ut de universo sacrificiorum inter hos Choragio, de Nudipedaliis & id genus plurimis aliis pridem doctis est observatum. Quod evidentius etiam adhuc intelligetur, si consideremus ex quo fonte & hoc fluxerit, quod à sacris suis hos quoq; protelarunt, qui nocte proxima nuptialis thori amplexibus illigati veneri fuisse credebantur. Hinc Tibullus lib. 2. Eleg. 1.

Vos quoque procul jubeo (discedite ab aris,)

Quis tulit hesterni gaudia nocte venus.

Ovid. l. 3. Amor. Eleg. 10.

Annua venerunt cerealis tempora sacri

Secubat in vacuo sola puella toro.

His tamen ad sacra ita accessus concedebatur, si aqua se fluviali diligenter proluisent. Quod itidem ex sacris eos fontibus hausisse constare potest. Ex Levit. 15. v. 16. Deut. 23. v. 10. De hac consuetudine capiendus est Persius sat. 2.

*Hac sancte ut poscas, Tiberino in flumine mergis
Mane caput bis terq; & noctem flumine purgas.*

Ubi secundum Casaubonum Lubinam & alios per Noctem, nocturnum concubitum intelligit. Neque viri solum aqua lustrari debebant, sed etiam mulieres. Quare apud Suetonium de Atia matre Augusti legimus expergefactam illam, quasi à concubitu
ma-

mariti se purificasse cap. 94. Et de iisdem
Juvenalis Sat. 6.

*Hibernum fracta glacie descendet in amnem
Ter matutino Tiberi mergetur & ipsis
Vorticibus timidum caput abluet - -*

Nec prætereundus locus, qui in eadem sa-
tyra legitur, quamvis ad superiora per-
tineat.

*Ille petit veniam, quoties non abstinet uxor,
Concubitu, sacris, observandisque diebus,
Magnaq; debetur violato pœna cadurco.*

Notat autem Salmasius in Exercitat. Pli-
nianis solitas mulieres *Ἰεσμοφορίαλῆσαι* a-
pud Athenienses per totos sacrorum dies
stramentis quibusdam in templo incuba-
re, quæ ut plurimum iis herbis ac foliis sar-
ta fuere quæ castitati conducere existiman-
tur. Stramentorū vero hoc genus cadurcus
à Juvenale præsentī loco vocitatur, qua de
re consulendi commentatores. Sed nec
hi tantum qui talibus sese somniis impuras-
se videbantur ablui prius aqua pura neces-
sum sibi judicarunt; verum etiam, qui qua-
libuscunque somniis importunis aliisque
scævis ominibus terrebantur ac sortis
quandam in deterius euntis *μεταβολὴν* for-
midabant, hujusmodi proluendi se con-
suetudinem ad se pertinere duxere, si rite
sacris interesse ac denunciatum fulmen de-
cli-

elinare discuperent. Huc spectat Annæ illud apud Silium Italicum l. 8.

*Namque asper somno dirus me impleverat
horror,*

Terq̄, suam Dido, ter cum clamore vocarat.

Et leta exultans ostenderat ora Sicheus,

*Quæ dum abigo menti & sub lucem ut visa
secudent,*

Oro Calicolas, ac vivo purgor in amni.

Itemque Æneæ apud Maronem l. 8.

- - - Mox æneam somnusq̄, reliquit,

Surgit & ætherii spectans orientia solis

*Lumina, rite cavis undam de flumine
palmis*

Sustulit, ac tales effudit ad æthera voces.

Addatur Propertius l. 5. Eleg. 8. & l. 4.

Eleg. 4. Quod si qui religiosiores paullo haberi vellent, ii ad probationes hæc mola falsam addebant, ut constare potest ex Plauti Amphitruone Act. 2. Sc. 2. *Recte dicit, ut commemoravit, somnium narrat tibi. Sed mulier, postquam experrecta es, prodigiali Jovi, aut mola falsa hodie aut thure comprecatum oportuit.* Confer. Martial. l. 7. Epigram. 53.

Fuisse autem hanc lotionem signum innocentis animi, qui nullius rei improbe patratae sibi conscius esset, cum infinita scriptorum testimonia evincunt, tum Lucento suffragio comprobatur illa Pilati, post

capitale supplicium Sospitatori denuncia-
tum, ablutio, de qua Matth. 27. 24. Neque
est ut hic originem exaudiamus, qui hac in
re judaicos ritus imitatum statuit. Rectio-
ris enim notæ sunt quæ Merillus notis ad
Passionis historiam observat, vix probabile
esse, Pilatum hominem Romanum mores
Judæorum sequi voluisse. Quod quidem
hac in re parum necessarium erat, cum
domesticis exemplis abundabat. Nam &
ipsi Romani, non tantum ad avertendam
somnia scævitate; verum etiam ad
expiandam cædem sive factam sive con-
sensu approbatam prolutionibus sapissime
utebantur: Quæ res ad affinem valde ob-
servationem nos ultro deducit. Quippe &
illi qui bellis, quæ raro sine sanguine & cæ-
de constant, diutius adsueverant, impuri
judicabantur, atque adeo à sacris remove-
bantur, usque quo lymphis se bona fide
perpurgassent. Quam ob causam Æneas
apud Virg. l. 2. Troja discedens sacra attre-
ctare prius noluit quam flumine vivo cor-
pus lustrasset, eoque patrem precabatur,
is ceu mundior sacros humeris sublato
penates secum efferret: audiamus ipsum:

*Tu genitor cape sacra manu patriosq; penates,
Me Bello è tanto digressum ac cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero - - - - -*

Mirum hoc videri poterat præcipuè in bello pio iustoque. Sed tamen & hic sæva aliqua cruentaque sæpe intervenire, res ipsa satis testatur. Hinc de Davide in sacris literis legimus, denegatam ipsi facultatem Deo templum exstruendi, quod manus ipsius multo sanguine, etsi pio iustoq; duello effuso, manarunt. Quod mirari parum subit, si perpendamus tanti apud universi hujus Architectum æstimari sanctissimum hoc animal, plenum rationis ac consilii, quem hominem vocamus, ut etiam ab iis olim, qui sine culpa aliquem interfecerint expiationem exegerit. Atque cum Græci veteres idem secuti fuerint, credibile est eos morem illum ex hebræa gente, quemadmodum alia multa, fuisse mutuatos. Inde apud Græcos quosque, qui Christianismum profitebantur, diu canon observatus est, quo sacris ad tempus arcebantur, qui hostem qualicumque bello interfecissent vid. Grot. J. B. B. 2. 24. 10. Neque hic prætereundum est Græcos quoque illos excommunicasse, qui alio modo vel loco mysteria seu cultus Divinos exercuerunt, quemadmodum patet ex Alcibiade, quod, quando infamia aspergebatur *illum in Domo sua facere mysteria*, excommunicabatur. Hi namque ritus, qui nocte in honorem Cereris & Bacchi

chi peragebantur, à magistra tu & tota civitate, ut publice agerentur, instituti erant ac simul vetitum ne quis privatus eos noctu perageret domi suæ. Apud Druidas inter præcipua pœnarum genera suspensionem à sacris fuisse testatur Cæsar 6. lib. Bell. Gallici.

Thef. 10.

Hæc hæctenus sufficere possunt ad ostendendum ritus hujus, frequentem cum intra, tum extra Ecclesiæ pomœria, usurpationem. Quibus equidem adtexi variæ huc pertinentes quæstiones possent, ni ea res, eam, quam necessitas nobis imperat, brevitate, in longius produceret ac dilataret. Quæri quippe solet: An regum sublimis dignitas fulmine hoc casu ullo adflari queat/ debeatve? Quod tametsi neget *Anton. de Dominii* l. 6. de pœnit. Ecclesiast. c. 9. inane tantum illud poppysma, quo demulcere eos tentat, esse, graviori fundamento nixa docet communis Theologorum orthodoxæ veritatis adfirmatio vid. *Danhareri Hadosoph. Phœn.* 2. p. m. 163. Venire & hoc in quæstionem consuevit, possit ne integer aliquis cætus, seu, ut planius dicam, tota aliqua Ecclesia anathematis fulmine feriri? Qua in re, qui negationem tuentur, probabiliorib9 argumentis & firmioribus

bus nervis niti videntur. Raro enim eo usque malitia inolevit, ut, si major ac aliquanto numerosior cætus exstiterit, de omnibus plane conclamata res existimari queat. Quo accedit Divina illa cautio ne cum zizania triticum imprudenter extirpetur. Atque hanc eandem moderationem sequi sueverunt, qui in civilibus, delictis pœnas sanciant. Numerosa enim supplicia, cladi sunt similiora, quam medicinæ, docente Tacito Ann. 49. 3. Verum enimvero cum à præstantibus Theologis accuratius hæ quæstiones pertractari soleant, nobisq; ritus tantum imaginem adumbrare & ex veterum scriptorum monumentis pauca colligere constitutum fuerit, vela hic contrahimus. Concedat autem nobis Deus Optim. Max. ita vitam hic transigamus, ne unquam cæleste illud

πολίτευμα clausum nobis
deprehendamus,

Γενοίσο.

